

*vidi alios tenuioris corporis habitus, teneriori debiliorique solidorum omnium compage praeditos, malo hoc misere afflictos; vidi sanguine et succis plenos, aequae ac macilentos, eius tyrannidem expertos; vidi satis exercitatos inobliquae viuendi generi addictos; vidi sedentariam et otiosam degentes vitam, perinde aegritudine hac odiosa laborantes.*

§. XIV.

Vnica adhuc quaestio soluenda restat: Quare nempe infantes puerique et puellae malo hypochondriaco et hysterico magis immunes deprehendantur? Quod certe mirari posset, cum in ista quidem aetate sensilitas adeo magna et insignis etiam caussarum occasionalium, v. g. vermium, acidi in primis viis, mucii tenacis &c. prouentus adsit. Soluere eam tentauit WHYTT (l. c. pag. 99.), nescio vero, an satis bene. *Man kann noch hinzusetzen, inquit, daß Kinder, ob sie gleich Zuckungen und andern Nervenkrankheiten sehr unterworfen sind, doch selten von dem hypochondrischen Uebel befallen werden, weil die Nerven des Magens und Gedärme bey ihnen nicht diejenige widernatürliche Empfindung haben, die gewöhnlich sich bey dieser Krankheit befindet* — . Verum alienata illa s. deprauata primarum viarum sensilitas auctae sensilitatis solet esse sequela (§. VII.), docetque obseruatio alias, sensibilia subiecta facile labem hystericam et hypochondriacam concipere. Nondum ergo nodus solutus. Soluetur forsitan sic, vt assumatur, ipsam illam ad alios neruorum morbos procliuitatem, quam praesentem esse in infantibus experientia comprobat, delere quasi procliuitatem  
ad